



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

Cap. XIX. Sacrum latus emortui corporis Domini Iesu aperitur lanceâ.  
indeq[ue] profluit sanguis & aqua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

DOMI-  
NICAE  
PASSIO-  
NIS EX-  
PLICATA  
TIO.  
Lexit nos  
Dominus  
KESVS,  
sempe  
usque ad  
mortem;  
& in cor-  
pore mor-  
tuo vi-  
vit amor

gratissima Christi membra jam e-  
mortua, nihilominus eandem,  
quam adhuc viventia habebant,  
demonstrare dilectionem ac be-  
nevolentiam. Extensa manent  
brachia, ut nos complectantur:  
oculi demissi, ut nos aspiciant:  
submissum caput, quod nos oscu-  
letur: patientia atque hiantia  
vulnera, ut in ea nobis ingredi  
atque confugere liceat. Sic igitur  
vira in Cruce occubuit, ut nobis  
de ligno crucis fructum vitæ por-  
rigeret. Sic sic excellentissimum  
pretium pro nobis fufum est, ut  
abolerentur debita nostra.

20.  
Matth.  
27.  
Omnia  
elementa  
in morte  
Christi  
commo-  
ta, ipsum  
Deum  
testaban-  
tur.

Hinc porro *velut templi scissu est*,  
terra tremuit, saxa diruta, & *mo-  
numenta aperta sunt*. Facta autem  
sunt hæc mira atque portenta, ut  
creaturæ insensibiles Judæorum  
incredulitatem & duritiam, pa-  
rriterque infideles omnes argue-  
rent, ac evidentibus signis Chri-  
stum crucifixum Dominum suum  
esse restarentur. Ad terribilem sui  
conditoris vocem cõtemuerunt,  
ac velut ingemuerunt, tantam  
exhorrescentes malitiam, crude-  
litatem, & facinora hominum  
impiorum, ac lugubres opificis  
sui exequias celebrantes. Scidit  
verò Christus moriens velut tem-  
pli, & Sancta sanctorum derexit;  
ut ipsa declararet, mysteria, fi-  
guras & vaticinia impleta atque  
patefacta esse; ostenderetque, om-  
ne illud sacrificiorum genus, quod  
pecorum sanguine in Veteri Te-  
stamento celebratur, esse antiqua-  
tum & abolitum. Christus nam-

que Summus Sacerdos per pro-  
prium Sanguinem introivit in  
sancta jam detecta, atque seipsum  
extra oppidum in crucis altari  
pro omni plebe propalam obtu-  
lit, factus commune quoddam &  
perenne sacrificium Patri suo pro  
hominibus universis, ipsum pe-  
tentibus desiderantibusque.

Heb. 9.  
& 13.

Nunc igitur compatiamur, 21.  
obsecro, Deo ac Domino creato-  
ri que nostro, ne saxis ipsis & ele-  
mentis duriores esse videamur.  
Devotis lacrymis ac piis gemiti-  
bus nostra tundamus pectora, di-  
cendo: O quid fecimus? quid egi-  
mus? *Verè filius Dei erat*, non vul-  
garis aliquis, quem peccatis no-  
stris denuò crucifiximus. O ani-  
ma mea, respice modo sponsi tui  
faciem, quam Angeli cum ineffa-  
bili delectatione contemplantur,  
prorsus tui causa & amore defor-  
mem, palloreque obsitam. Atten-  
de sacrum Christi corpus à som-  
mo capitis vertice usque ad imam  
pedis plantam, non inuenies nisi  
vulnera & sanguinem. Sit hæc  
miseranda Redemptoris tui spe-  
cies ob oculos tuos, adeoque tuis  
fixa inhæreat cogitationibus, ut  
vanarum omnium rerum penitus  
obliviscaris.

Quotidie  
crucifigi-  
mus Chri-  
stum pec-  
catorum; in-  
deo quom-  
modo ipse  
compati-  
amur.  
Mar. 15.  
1. Pet. 2.

Isa. 53.

CAPUT XIX.

*Sacrum latus emortui corporis Do-  
mini Jesu aperitur lancea, indeque  
profluit sanguis & aqua.*

1. Longinus miles sacrosanctum Christi latus  
aperit lancea: Iudei crucifragium crucifixorum  
postularunt in ignominiam Christi.

V 2

2. 10.

DOMI-  
NICAE  
PASSIO-  
NIS EX-  
LLICA-  
TIO.

2. Eadem lancea, que latus mortuum Domini nostri aperuit, vulneravit animam Virginis veniunt.
3. Vulnus illud porta Sacramentorum.
4. Per vulnus lancee aditus patet ad cor Christi; ut eidem conformemur, postulat vicissim cor nostrum ipsi aperiri.
5. In omni tentatione & afflictione ad cor apertum Christi accurrendum est, tamquam ad asylum tutissimum.
6. Passio Christi, licet olim completa, semper debet esse nova de votu mentibus.
7. Exigit enim a nobis Christus perpetuam memoriam vulnerum, & observantiam mandatorum.
8. Oratio devota, qua passio Christi pro peccatis offertur.

I.  
Apertio  
latus  
Christi  
mortui,  
qua de  
causa.

Ioan. 19

POST hæc ob instantem Paschalem solemnitatem, quia indecens erat extincta corpora manere in Cruce, petierunt Judæi à Pilato, ut crucifixorum crura frangerentur, ac tollerentur: ob tenta quæ licentia latronum crura fregerunt. Ad fessum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum, Longinus nomine, lancea latus ejus dextrum aperuit, & cõtinuò exiit sanguis & aqua. Fecerunt hoc crudeles Judæi ex fallacia & nequitia singulari: noverant enim, quod dedecus illatum defuncto, tamquam adhuc viventi factum habeatur; & hoc ipso persuadere volebant omnibus, tantum esse scelus & facinus Salvatoris, quod in vivo corpore dignè castigari nequiverit, itaque necesse fuerit in corpus extinctum desævire. Ad hæc Pontificum captabant gratiam, quibus certa mortis ejus indicia referre cupiebant. Ceterùm, quamvis nihil hic corpus Dominicum doloris persenserit, (quippe quod emor-

tuum atque insensibile erat) alia tamen quadam ratione hinc Dominus afflictus est; uti adhuc quotidie patitur & crucifigitur à multis, qui per sacra ejus vulnera & passionem jurant, gravibusque sceleribus suis majori eum injuria & convitiis afficiunt, quàm qui eum corporaliter crucifixerunt. Multò namque gravius accipit contemptum irrogatum divinæ Majestati suæ (qua unum est cum Patre & Spiritu sancto) quàm externos illos cruciatus corpori ejus tempore passionis illatos.

At quis cogitando consequi possit, quàm dirè lancea hæc devotissimam piè Matris animam confixerit & sauciaverit! cujus utique anima & cor demorabatur in corpore dilecti filii sui, qui totus erat amor ac thesaurus illius. Dicit D. Bernardus: *Reverà, Mater dulcissima, doloris gladius scidit animam tuam, quando crudelis lancea latus filii confixit. Non enim sua illic, sed tua potius anima erat.* \* Itaque precipua es Martyrum omnium: quandoquidem immensus dolor tuus internus externa Martyrum vicia cruciamenta. Nulus sanè acerrimos illos capere potest dolores & cruciatus, quos Mater mœstissima sensit, cum lancea illa venerandum Christi latus horrido conficeret vulnere. Planè hic est *gladius doloris*, de quo Simeon ille justus fuerat vaticinatus. O beatos illos, qui hujus sunt vulneris participes! quorum corda sic configit acutissima amoris

*Iranca  
tu & p  
cari de  
rendu  
pungit  
latus  
Christi.*

*\* Lan-  
cea lat-  
ris Chri-  
sti B. V.  
Mariæ  
fecit la-  
ginam  
Marty-  
rum.*

DOMINICAE PASSIONIS EXPLICATIO.

Vulnus lateris, porta est Sacramentorum, qua ex latere profuxerunt in Ecclesia.

ris Christi lancea, ut deinceps perenni ferveant charitatis ardore.

Porrò signanter Evangelista dicit, latus Christi non vulneratum, sed apertum lanceâ fuisse: ut intelligeremus, vitæ nobis ostiû patefactum. Sacri namque lateris Christi vulnus, porta est Sacramentorum, sine quibus nulli nostrûm patet accessus ad beatam vitam. Unde etiam addit Evangelista, Et continuò exiit sanguis & aqua. In aliorum hominum corporibus, ubi animam fuderint, sanguis coalescit: at ex Christi latere, non sine miraculo, ceu ex fonte vivo, reverà, sanguis & aqua manavit: indicans illum, vivum fontem esse, unde omnium nostrûm vita profluxit, de quo legitur apud Zachariam Prophe- tam: In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusa- lem, in ablutione peccatoris & men- struata. Hoc ipsum nobis sanguis & aqua de Christi latere manantia significaverunt: sanguine nam- que, qui est pretium redemptionis nostræ, abluimur à peccatis; & aqua, quæ est figura Baptismi nostri, ab universis originalis pecca- ti maculis expurgamur, quemad- modum per Ezechielem Domi- nus ait: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omni- bus inquinamentis vestris.

Ezech. 36.

Datur per hoc vulnus nobis adi- tu ad cor.

Est etiam apertum Christi la- tus, ut nobis accessum aditumq; pius Jesus ad cor suum pateface- ret. Declaravit hinc suum erga

nos incomprehensibilem amo- rem. Et quid ultra nobis facere potuit, quàm fecit? Ipsum cor suum tamquam secretissimû cu- biculum nobis referavit, ut in il- lud nos ceu electam sponsam su- am introducat. Sunt namque de- licia ejus esse nobiscum, & in silen- ti tranquillitate ac tranquillo si- lentio apud nos quiescere. Dedit, inquam, nobis cor suum dirè vulneratum, ut in eo commore- mur, donec penitus expurgati & mundi, suoque cordi conformes, idonei ac digni simus unà cum ipso in æterni Patris cor divinum abducî. Dat planè nobis cor su- um, ut sit nostra habitatio: vicif- simq; repetit nostrum, ut sit suum habitaculum. Nobis præbet cor suum, ceu lectulum purpurei san- guinis sui rubentibus ornatum rosis: repõscitq; cor nostrum, ceu lectulum sibi candidis mun- dorum operum liliis decoratum. Quis illi negare ausit, quod tam profusâ liberalitate nobis contu- lit? Ecce invitat nos in melliflua vulnera, atque amabile & patu- lum latus suum, ceu uberem cel- lam vinariam, deliciis omnibus affluentem, dicens in Canticis: Veni, columba mea, in foraminibus petre, id est, intra in sacra vulnera mea. Cor meum tibi patefactum est: ad illud te invito, accede con- fidenter, potum novi multi ipsum roseum sanguinem cordis mei ti- bi præbebo. Venite prorsus ad me omnes qui laboratis & onerati estis sarcinâ peccatorum, poenitentia

Christi, ut illi cõ- forme- mur.

Prov. 8.

Postulat Iesu vul- neratu vicissim sibi ape- riri cor nostrum.

Cant. 2.

Matt. 11



DOMI-  
NICAE  
PASSIO-  
NIS EX-  
PLICA-  
TIO.

onere, afflictionis cruce : venite ad me quotquot contra vitia vestra certamen iniistis , & ego vos reficiam , vos pascam , daboque vobis vinum rubrum , quo mire exhilarabuntur corda vestra.

5.  
Cor Chri-  
sti. asy-  
liu  
perfugiu  
in tenta-  
tionibus  
& tribu-  
lationi-  
bus.  
Isa. 55.  
Ican 7.  
Apoc. 21

Accedamus eapropter sitibundo desiderio & affectu ad fontem hunc vivum , quandoquidem aquam vitæ nobis dabit , & quidem gratis , ac sine pretio vel ullâ commutatione . Ait enim : Si quis sitit , veniat ; & qui vult , accipiat aquam vitæ gratis . Vide hic mellitissimum purissimumque fontem in loco voluptatis , in medio paradisi , in sauciato latere Christi scaturientem , quo irrigatur omnis terra . Agedum in quibuslibet huius tentationibus , miseris & afflictionibus , ad foramina petrae confugiamus . Cujus , inquis , petrae ? Jesu Christi Domini nostri . Hic enim est petra , quæ à Judaico populo virga crucis percussa , dedit aquas largissimas , ita ut non aquam modò , verum etiâ oleum ex hoc saxo durissimo sugere liceat . Hinc propheta Jeremias ait : Relinquitte civitates , id est , populares strepitus ac perturbationes , & habitate in petra , habitatores Moab , & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis , id est , in patulo latere Christi . Hic est lapis quem Jacob erexit in titulum . fundens oleum de super , in signum abundantis misericordiae ac pietatis . Quid nobis hac in petra deesse queat ? Nimirum à cunctis hostibus no-

Cant. 2.

Num. 20

Deut. 32  
Jerem.  
43.

Habita-  
culum  
columbae.  
Gen. 28.

stris tuti hic sumus : serpens anti-  
quus , & coluber ille toruosus  
huc accedere non valet . Tentet  
mundus , minetur hostis , queratur  
caro : non est certè quod formide-  
mus , quando super hanc petram  
fundati sumus . Nusquam sumus  
tam securi , ut in Vulneribus Sal-  
vatoris . Ego , ait D. Bernardus ,  
fidenter quod ex me deest , usurpo  
mibi ex visceribus Domini : quoniam  
misericordia affluunt , nec desunt fo-  
ramina per quae effluant . Foderunt  
manus ac pedes , laterisque lancea per-  
forarunt : & per has rimas licet  
mibi sugere mel de petra , oleum  
que de saxo durissimo : id est , gusta-  
re , & videre quoniam suavis est Do-  
minus . Per foramina corporis pa-  
rent viscera misericordiae Dei no-  
stri , in quibus visitavit nos oriens ex  
alto . Quid ni viscera per vulnera  
pareant ? In quo enim Domine cla-  
rius , quam in vulneribus tuis eluxis-  
set , quod tu suavis sis & miris , &  
multa misericordia ? Augustinus  
quoque , Longinus , inquit , aperuit  
mibi latus Christi lancea , & ego in-  
travi . Hic fidenter habito , hic me  
jucundè reficio , hic quiesco suaviter ,  
hic pascor delectabiliter . Hæc ille .  
Et tu anima mea , commorare in  
foraminibus Vulnerum dilecti  
tui , quemadmodum columba so-  
let in petrae cavernis . Ore ad pa-  
rulum vulnus lateris ejus apposi-  
to , caelestem suavitatem ex corde  
ipsum manantem gustato atque ol-  
facito ; reverà enim torrens vo-  
luptatis illinc erumpens te abun-  
dè satiare poterit .

Prò

DOMI-  
NICAE  
PASSIO-  
NIS EX-  
PLICATA.

6.

*Semper  
nobis re-  
cessus esse  
debet  
Christi  
passio &  
vulnera.*

Prò dolor! pleròque nimis in-  
gratos inveniri, quid dicere non  
verentur: Eja, quid necesse est nos  
occupari his quæ ante plures an-  
nos peracta novimus? Intelligunt  
autem Dominicam passionem, &  
sacrà Christi Vulnera. Atqui mel-  
lissima illa Redemptoris nostri  
vulnera, reverà liber vitæ & mun-  
dissimum speculum sunt. Si quis  
ea cum Apostolo penetrare sciret,  
inveniret utique in eis quidquid  
Divinitas ipsa exhibere potest.  
Itaque anima devota debet dile-  
ctum suum in amabilibus Vulne-  
ribus ipsius cõttemplari atq; oscu-  
lari: hæc enim quinq; vulnera bea-  
tissima plus pulchritudinis, læ-  
titiæ & claritatis toti cælesti cu-  
riæ conferunt, quàm omnia alia  
quæ in vitâ perenni (excepta Di-  
vinitate) habentur. Proinde vel  
sanguineis lacrymis deflendum  
est, quòd in toto terrarum orbe  
ita prorsus excellentissima Christi  
vulnera in oblivionem abière.

7.

*Duo à  
nobis exi-  
git Do-  
minus,  
memoria  
vulnera,  
& custo-  
dià man-  
datorum.*

Et quid à nobis exigit Deus,  
nisi ut mandatis ejus nos totos  
tradamus, vitamque & passionem  
Christi imitemur, atque in sacris  
illius commoremur Vulneribus?  
Beatus profectò ille est, qui passio-  
nem & vulnera Dñi in conclavi  
cordis sui fideliter ac sanctè rumi-  
nare, ipsique Christo sese in veris  
virtutibus conformare studet.  
Qui ejusmodi est, plerumque in  
intimo æstuantissimorum desi-  
deriorum impulsu, quali cum im-  
patienti desiderio vociferatur! O  
unice amor meus! ò totum refu-

*Ad hæc  
aspiran-  
dum.*

gium fatigatorum! ò salutis me-  
dicina languentium! ò dulcis cõ-  
solatio te lussurantium! ò præ-  
stantissima esca te esurientium, &  
sua visissimum potus sitientium te!  
ò vernans conclave in te quies-  
centium! ò unica & summa suffi-  
cientia mea! irabe me post te: avel-  
le me à meipso atque ab omnibus  
creaturis, & transfer in te, ut tibi  
placeam.

Cant. x.

8.

Nonnumquam etiam vitam  
suam præteritam vitiis & iniqui-  
tatibus obnoxiam memoriã re-  
perens, humiliter precatur in  
hunc modum: O Jesu æterna dul-  
cedo, ego peccator putridus, cum  
quanto possum cordis mei dolore  
confiteor tibi magnam culpam meã,  
quòd causa sim acerbissima passio-  
nis tue, & hos tantos cruciatu tuos  
gravibus meis sceleribus tibi insti-  
xi. Enimverò multò à me graviora  
passus es, quàm ab illis qui te cruci-  
fixerunt: quandoquidem injuria il-  
la & contemptus que prævidebas à  
me inferenda Patri tuo, multò tibi  
vehementius dolebant, quàm seve-  
ra illa Vulnera corporis tui. Et non se-  
mel tantum te crucifixi, sed toto vi-  
ta mea tempore, quo perseveravi in  
iniquitatibus meis. At tamen neq;  
post tot peccata tantamq; injuriam  
quæ te affecti, de gratiã & misericor-  
diã tuã, ullâ ratione, despero, cum in  
te reluceant tot signa clementiæ. I-  
gitur pia illa oratio tua, quam etiam  
pro his qui te manibus suis crucifi-  
xerunt, & linguas blasphemaverunt,  
fudisti, prosi misera anima mea.  
Non jam te clavis perterebo, non

*Pia &  
affictua-  
sa oratio,  
qua offer-  
tur pro  
debitis  
nostris  
passis Iu-  
su.*

latus.

DOMI-  
NICA  
PASSIO-  
NIS EX-  
PLICATIO.  
latus lanceâ configo: sed cor tuum  
humilibus precibus ignitorumq; de-  
sideriorum & pii amoris jaculis sau-  
ciare desidero. Vel una obsecro gut-  
tula ex patente latere tuo stillet in  
vulneratam atque egram animam  
meam, & saluus ero. Tolle à me  
omne vitiorum peccatorumq; medi-  
um, ut tibi mea jungatur anima, at-  
que in te requiescat, qui es paradi-  
sus spiritualium deliciarum, & ple-  
na satietas Beatorum. In te namq;  
eternam habemus quietem, ceu in  
paradiso voluptatis, unde nihil nos  
excludit præter medium iniquitatis.  
Tolle itaq; iniquitatem, qui es agnus  
sine maculâ, auferens peccata munda;  
& ero unitus tibi, atq; in te ju-  
cundè sancteq; conquiescam.

## CAPVT XX.

Corpus Jesu Christi de Cruce deposti-  
tum Virgo-mater in gremium  
suum excipit, osculatur, lacrymis  
rigat: ipsumq; tandem, licet  
non sine dolore, sepeliri permit-  
tit.

1. Devota exequia, quas Virgo & Discipuli  
Christum persolvunt; excipiente ejus corpus Vir-  
gine in gremium suum cum Magdalena & sociis.
2. Percurrit Virgo singula Filii vulnera oscu-  
lu & lacrymis.
3. Difficiter, & invita avellitur à mortuo fi-  
lii corpore plorans & gemens Mater.
4. Sed tandem cum dolore permittit ipsum se-  
peliri.
5. Venerabile Sepulchrum Domini, eiusq; cum  
virginali utero collatio.
6. Sepulchrum spirituale, quod Virgo in corde  
suo Christo condidit.
7. Cor ejus fuit hortus paradisi amantissimus, &  
incontaminatus.
8. Sindonem habuit obedientia & integritate,  
balsamum & unguentum omnium virtutum.
9. Tristis abscessus Virginis à Sepulchro Domi-  
ni, comitantibus viri & mulieribus dolore plenus.

VIDEMUS nunc quàm tristes  
Vexequias, quàm lugubres cæ-  
rimonias Virgo intemerata, ce-  
teri que Salvatoris familiares &  
amici ad defunctum Christi cor-  
pus celebrarunt. O quanto desi-  
derio, quantâ devotione Virgo  
piissima Christi filii sui crucem  
amplexa est, sanguinem illum &  
aquam ex illius latere manantia  
reverenter excipiens! O quoties  
sua ad eum extendit brachia, cu-  
piens etiam exterioribus mem-  
bris suis eum excipere & comple-  
cti, uti eum jam animo suo in-  
sculperat impresseratq; O quan-  
ta cum devotione, quamq; aman-  
ter corpus Christi emortuum jam  
depositum à Cruce, maternis luis  
brachiis amplexa est, suoque ap-  
pressit pectori! Tum verò quàm  
omnia illius viscera nova sunt  
compassione concussa! Quomo-  
do etiam anima ejus ceu cera igni  
admota, amore liquefacta est, ip-  
saeque tota in lacrymis soluta! O  
quis capere possit, quanto amore  
tota proruit in faciem filii ita de-  
formem ac mirè deturpatam, in-  
satiabiliter eâ exosculans, & ca-  
lidis suis lacrymis nõ lavans mo-  
dò, verùm etiam ubertim irri-  
gans! Sed & ferventissima Chri-  
sti amatrix Maria Magdalena,  
quàm devotè ad pedes illius cor-  
ruit, apud quos tantam olim gra-  
tiam consecuta fuerat; devote-  
que eos lacrymis suis abluit, sa-  
cristique Vulneribus fixit oscula,  
eamdem defuncto, quam adhuc  
super-

1.  
Deipara  
cum disci-  
pulis  
exequias  
Christi  
persolvit.

Excipit  
Filium  
in sinu  
& pla-  
git.

Luc. 7  
Comple-  
ratio  
Magda-  
lena &  
aliorum  
amicorum  
Christi